DE PHTHISEOS SPECIEBUS A GASTRICA IRRITATIONE MENTITIS...

Antonio Valentinotti

DE

PHTHISEOS SPECIEBUS

A GASTRICA IRRITATIONE MENTITIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS HONORES IN MEDICINA

ASSEQUENDOS

PUBLICE HABUIT

Valentinotti Antonius

TIROLENSIS

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLI

A

MICHELE UDALRICO DE COMINI

NOBILE DI SONNENBERG

DOTTORE IN MEDICINA

I. R. CONSIGLIERE DI SANITÀ EMERITO

IN INNSBRUCK

SOCIO CORRISPONDENTE DELLA SOCIETÀ DI MEDICINA

D'ALTENBURG ATTUALE DEPUTATO DEGLI STATI

PROVINCIALI DEL TIROLO DA PARTE DEI NOBILI

PER POTENZA D'INGEGNO

COMMENDATISSIMO

PER VARIETÀ DI DOTTRINA

PER SOAVITÀ DI COSTUMI

PREGEVOLISSIMO

QUESTA PRIMA FATICA

NON ADEQUATO TRIBUTO

ALL' ECCELLENZA DE' MERITI SUOI

MA TENUE PEGNO

DI GRATTITUDINE DI DEVOZIONE D'AFFETTO

REVERENTE OSSEQUIOSO

CONSACRA IL NIPOTE

Animalium partium elementa a ventriculo praecipue parantur. Viscus hoc nobilissimum quidquid in ejusdem cavitate vel cibi vel potus ingeritur in homogeneam massam reducit, et ad chilificationem viam sternit, cujus ope, ut neminem latet, succus ille nutritivus efficitur, qui in sanguinem transfusus hinc atque hinc per totum corpus diffunditur, variis systematis secretionibus accomodatur. Praeter enim effusionem elementorum varia proportione in omnibus minimis cellulis, ut exurgant humores nutritii cuique parti convenientes, fit in hepate bilis, in renibus urina, semen in testibus, humor perspirationis in cute, saliva in glandulis oris caveam petentibus et quid simile in pancreate, lacrymae in glandula lacrymali, cerumen in auribus, in mammis lac, mucus in cryptis et aliis mucosis glandulis, in articulationibus synovia, in ossium fistulis medulla; et quid reliqui minime ad hasce aliasque omnes secretiones efformandas aptum est per alvum dejicitur. Naturales igitur vel abnormes hujus visceris functiones non est ubi persentiri non patiantur, et vel ad remotiores partes effectus transferri; variaque hinc inde morbosa exsuscitantur phaenomena prout aut solidorum affinitates aut fluidorum crasis prae norma afficiuntur. Sed non solum quoad ejusdem functionis specificae exercitium turbae in alia corporis

organa derivantur, sed etiam quoad ejusdem cum organis relationes, quibus vel per nervos vel per contiguitatem aut continuitatem annectitur, locales permultae affectiones emanatur, quas Medico nec perfecte detegere semper datum est, nec detectas curare. Quis enim ignorat amauroses, ophtalmias, dentium et faucium dolores, cephalalgias, aphonias, paralyses, menorrhagias, spasmos, epilepsiam aliosque morbos quamplurimos a gastrica colluvie saepe saepius originem ducere, qui emeticis aut catharticis pro opportunitate adhibitis victoriose vincuntur? Quod quidem repetere fas est a sublata ventriculi irritatione et a consequenti nervorum normalitate organis sympathice affectis restituta. Viscera autem pectoris, tam stricte et per nervorum communicationem et proximitatem cum sthomaco conjuncta, fere semper in ventriculi vitiis sympathice afficiuntur; quo tussis sicca, cordis palpitationes, dispnoea, calor praeternaturalis, dolor hoc vel illud latus petens aliaque istiusmodi derivantur. Quod si diutius morbi causa persistat, nec opportunis adjumentis ventriculus ad pristinam valetudinem restituatur, tantum haec thoracica symptomata invalescere non raro occurrit, ut vel organica cordis vitia, vel ipsam possint phthisim pulmonarem mentiri.

De phthiseos igitur specie mendacis a gastricis inquinamentis evoluta nunc aliquid mihi Lauream Doctoralem adipiscenti dicere est animus, ut munus quodammodo absolvam.

Si hominem pravis digestionibus obnoxium, nec a quieto et satis protracto somno restauratum consideremus, facile patet eundem neutiquam bonis viribus bonaque corporis valetudine gaudere posse. Accedat, quod irritatio ventriculi, imprimis si gastrica colluvies longius in corpore lateat, ob eamque caussam acrior tenaciorque facta sit, pulmones finitimos ad tussim cogat, qua aeger valde excrucietur, noctu praesertim et post cibi assumptionem; quod corpus debilitate correptum et tussi defatigatum in profusos sudores liquescat; cordis motus exagitati pulsus reddant parvos, frequentes, irritatos; quod non inanis tantum sit tussis, sed excreatis puriformibus subsequenta, ut in protractis pneumonicis affectionibus videre est; diarrhoea aut alvi constrictio sibi invicem succedant, urinae modo rubrae, modo croceae, modo naturales appareant; tumeat venter; facies fiat plumbea et ad zygoma ob tussis violentiam rubra, oculi languescant; aurium tinnitus insurgat, febricula continuo vigeat, exacerbationibus cum horripilatione ingruentibus; anxietas adsit; afflatus gravis reddatur et animi vires delabantur: nonne haec omnia illud conferre poterunt, quod a juvene praesertim medico de verae phthiseos pulmonaris vel incipientis vel conclamatae negotio agi ducatur? Nullum tamen nullius aetatis medicum latuit jam supra memorata symptomata a gastrica irritatione posse progigni, et multa extant exempla aegrotantium, qui postquam veluti

conclamati considerabantur, feretro ut ita dicam sublati fuerunt a clinicis de re medica meritissimis emeticorum aut purgantium ope vel semel vel repetita vice, ut par erat, exhibitorum. Sed si exempla istiusmodi non desunt, copia tamen profecto major extat de hujus affectionis victimis ob medicorum imperitiam, aut nimis superficialem morbi considerationem. Quid de illorum cadaveribus judicandum censemus, qui a phthisi pulmonari letho donati credebantur, quibus autopsia peracta nullum in pulmonibus vitium detegere licuit? Quid contra de juvene quodam, cujus refert historiam clarissimus Arnold in sua de hectica stomachica dissertatione, qui dum jam desperatus habebatur ob pulmonaris phthiseos symptomatum omnium praesentiam, post vomitu magnam vermium copiam expulsam cito ad sanitatem pervenerit? Narrat Eichhorn de puella annorum viginti quatuor, cui catameniorum defectui omnino deerat appetitus, numquam bono et reficienti somno fruebatur et jactatione totam plerumque noctem consumebatur. Sub luce sudores multi; membra debilitata, orthopnoea, febricula continua, tussis cum sputis flavis, inflatio ventris, praecordia tumidiora, tacta dolentia, lingua alba, dolores capitis frontem praecipue affligentes, urina pallida, aquosa, excretio alvina naturalis, pulsus debilis, exiguus, celer, vultus pallidissimus, oculus fere ictericus colorque totius corporis chloroticus. Ne de hujus affectionis natura ob phaenomenorum

illorum praesentiam facile deciperetur ad anamnesim praecipue confugit Eichhorn, ex qua collexit ob multa ac varia ingrata, quae aegrotas ab agnatis contigerant, multum irae et moeroris concepisse, quae jam ante annum eideas menstruum fluxum supressissent. His habitis, de causa in primis viis morbi latente sententiam protulit, et remediis opportunioribus adhibitis, hisque ob morbi obstinationem multoties repetitis, aegram ad sanationem perduxit.

Exempla similia, saepius a gravissimis auctoribus repetita et fere semper (dum morbus adhuc remediis parere poterat) exitu faustissimo subsecuta caveamus oportet, ne ad illud nos demum perducant, ut in quacumque phthiseos specie emetica et catbartica convenire credamus. Hoc sane apud multos contigisse vidimus, sicut et de quamplurimis aliis, aliunde validissimis remediis, quae cum faustissimos in nonnullis morbis effectus producerent, ad omnes morbos sanandos aptissima ab eorundem fautoribus accepta et commendata fuere.

Phthiseos profecto quaedam species existunt ab aliis causis quam a gastrica irritatione productae, et conditionem pathologicam pulmonibus essentialiter gerentes, ad quarum curationem nec emetica, nec cathartica, nec ulla sane remedia facere possunt.

Phthiseos immo quaedam species adsunt, in quibus ab eorum administratione per quam religiose cavendum est. Hujusmodi ex. gr. est phthi-

sis a vomica, ab haemoptoë, a calculis, ab ulcere pulmones depascente producta; in quibus omnibus pulmonum succussio et tussis vehementia ab emeticis praecipue determinata magno detrimento esse potest et saepe lethalis ob pulmonum contusiones et lacerationes a calculis productas, aut a vomicae ruptura, aut ab illorum vasorum nova laceratione, quae antea haemoptoën produxerat.

Sapienter usque agendum est in medicius facienda, nec intemperanter propinemus remedia, nisi phaenomenorum complexus talis sit, ut ab iisdem eorum administratio pro virili requiratur. Sed cum ad aegrotantium lectum accedimus, et ab anamnesi praesertim colligimus morbi causas ejusdem fuisse, ut necessario stomachi functiones perturbari debuissent, phaenomenis revera gastricae colluviei propriis adstantibus, qualicumque phthiseos symptomata occurrant, nec vires prorsus deficiant, spem concipiamus fas est, quod gastricis inquinamentis eliminatis, morbum levare nobis contingat, nec non et omnino de medio tollere, optimamque salutem aegrotantibus restituere.

Quod ut nobis obtinere liceat causas in primis recenseamus oportet per quas valetudo infirmari coepit, easque notionibus pathologicis et therapeuticis comparemus, ut nobis animo fingere possimus an ab earundem actione symptomata tunc occurrentia derivanda forent, nec ne. Hinc perexacte cognoscamus oportet an atmosphaericis vicissitudinibus, aut nimiis laboribus, aut fluidorum spi-

rituosorum immoderatae ingestioni, aut irritantium particularum inspirationi et similibus obnoxius fuisset aeger cum morbus inceperit, quorum actionem tussis, febris ardens, excreata vel mucosa tantum vel puriformia vel etiam cruore pertincta consecuta sint, vel potius intemperantiae ciborum, deprimentibus animi pathematibus, veneris gaudiis, vitae studiosae ac sedentariae, aut longis vigiliis, aut cibis pinguibus vel aliter indigestis se dederit aeger: quorum serie et complexu facile evinci poterit conditionem pathologicam primitivam pectus an abdomen teneat.

Magni praeterea faciendum est de aegrotorum organica aut acquisita ad hoc, vel ad illud morbi genus praedispositione, sicut et de morbis, quos antea per vitae decursum passi sunt. Quis enim in colli longitudine, in scapularum prominentia, in thoracis angustia, in cutis nimia tenuitate, in genarum rubore verae phthiseos pulmonaris capessendae proclivitatem non videt? Accedat quod si in repetitam perfrigerationem cum tussim plus minusve protracta antea incurrerint, tunc difficilis argumenti erit judicium de recuperandae sanitatis possibilitate purgantium ope, si quidem et linguae inquinatio et appetitus defectus in praesens sint. Sed si quis ab infantia pravis digestionibus laborare inceperit, si frequens et habitualis dispepsia ad artificiales purgationes confugere hunc saepius coëgisset, si post cibi vel tenuissimi assumptionem gravitatis sensum ad epigastrium perseuserit, cor-

dis palpitationes, capitis gravedo, idearum confusio, indeque thoracicae quaedam affectiones insurrexerint, ita ut primitivis molestiis jam adsuetus aeger ab hisce praesertim afflictetur deque hisce apprime queratur, tunc in stomachi laesionibus morbum consistere iisdemque occurrere necessarium fore clare et aperte patebit.

Adnotandum insuper est, cum istiusmodi affectionis diagnosim ducere opus sit, excreatuum naturam non nisi incertissimam praebere normam, vel si purulenta appareant. Non semper enim puris praesentiam ulcus in pulmonibus sistens indicare quamplurimis constat observationibus. Quot non adsunt affectiones phthisim mentientes, ut clarissimus Tommasini bene notat, propter purulentum abundans sputum quod praebent, quin inveniatur in cadaveribus laesio ulla a qua materies purulenta prolabatur? Nondum satis natura et morbi lymphae coagulabilis nobis cogniti sunt, ideoque in errorem ipsius alterationes nos ducere facillime possent, si iisdem tantummodo innitamur ad phthisim dijudicandam.

A juvantibus et laedentibus quoque criteria depromi possunt ad morbi cognitionem aptissima. Si ab oleosis, a venae sectionibus, ab analepticis pectoralibus temporaria tantum utilitas habebitur, morbo postea magis magisque saeviente; perque minorativa sursum et deorsum utilitate capessat aeger; in illa erit methodo insistendum, qua stabile et decisivum, non ephemerum tantum leva-

men afferri deprehenditur. In cujus autem administratione, cum ab attento affectionis occurrentis examine convenientia pateat, constanter perseverare necesse est, nec primarium ejusdem futilitatem vel damni speciem pertimescemus. Nihil profecto facilius occurret, quam aegro jam viribus destituto parvum aut nullum adjumentum afferant remedia semel exhibita, licet morbo perfecto conveniant, sicut et turbas excitent, quas medicus expavescat. Huc refert Prosperi Alpini observatio, qui multos narrat a diuturnis in pulmone destillationibus ita languidos et tabidos factos, ut de eorum salute vix ulla spes superesset, et nihil a vulgaribus alvum ducentibus levatos, tamen ab assumpta scammonea, vel colocynthide largissime purgatos extemplo convaluisse

De aptiori autem istiusmodi affectionum tractandarum methodo nil addam praeceptis, quibus omnes adimplentur medicinae tractatus Ex ipsis enim colligitur, emeticorum administrationem in primis maxime quamplurimis profuisse, bis et ter pro opportunitate repetitam, eamque alvum ducentibus subsecutam, donec peccantis materiei primis viis inhaerentis eliminationem obtinere datum sit amaricantium deinde et diaetae tenuis, sed nutrientis ut ventriculi vires instaurarentur. Ita et animi hilares exercitationes admoveantur oportet, quibuscum individuis praecipue exaltata sensibilitate donatis magnopere adjuvatur. Quorum usus, ut nunquam debet oblivisci, peculiari semper

aegrotorum constitutionibus aliisque comitantibus circumstantiis prospicere debet, sicut et in quovis alio morbo. Quod quidem asservare licebit, cum non empirice tantum, sed scientifice medicina tractetur.

THESES DEFENDENDÆ

I.

Morbi omnes primitus plerumque locales.

II.

In pharmacis et virtus electiva agnosci debet.

III.

Remedia tutissima sunt specifica.

IV.

In morborum curatione diaetae necessitas per se patet.

V.

Per diaetam graviores morbi sanantur, absque diaeta leviores affectiones graviores fieri possunt.

VI.

Obtusitas mentis in adfectionibus abdominis saepe causam tenet.

VII.

Angustatio pectoris causa disponens est tuberculorum.

VIII.

Nec dentitio nec senectus ad morbos pertinent.

IX.

Infantum educatio plurium morborum causa.